

Bibliothèque numérique

medic@

**Silva, Jean Baptiste - candidat /
Pousse, François - président. - An
Acida Variolarum Eruptioni Noxia ?**

1711.

***Paris : Apud Viduam Francisci
Muguet, Regis & Facultatis
Medicinae Typog.***

Cote : ms 2325 n°64



QUÆSTIO MEDICA,
QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS
MANE DISCUTIENDA

IN SCHOLIS MEDICORUM,

Die Jovis tertiâ Decembris 1711.

M. FRANCISCO POUSSE,
DOCTORE MEDICO,
PRÆSIDE.

An Acida Variolarum Eruptioni Noxia?

I.

VARIOLÆ Exanthemata sunt sive papulæ ad cutem Efflorescentes, febre, inflammatione, suppuratione aliisque minùs genuinis stipatæ symptomatis. Aliæ majori, minori aliæ distinguuntur ferociâ symptomatum, distinctasque has, confluentes illas novissimi celebrant Authores. Quæcunque, easdem perlustrant periodos, invasionisque, eruptionis, suppurationis & declinationis, sive desquamationis seriem & normam subeunt. Invasio dira sæpiùs creat mala, rigorem, calorem intensum, capitis & dorsi dolorem atrocissimum, insultus Epilepticos, anxietates, vigilias aut somnolentiam, nauseam, vomitum & pectoris angustias. Circa diem quartum Eruptio cuncta remittit, & faciem præcipuè ac pectus pustulis subrubris in dies grandescens, ac in acumen desinentibus fœdat, quæ carnem circumjectam rubore inficiunt & torquent phlogosi. Octavum circiter diem phlogosin solvit suppuratio, quam febris aliorumque symptomatum exasperatio prænuntiat, pustulæque priùs læves & rubræ, asperæ & subflavæ conspiciuntur, suâque vigent sævitie symptomata, dùm perfecta

subegerit maturatio. Hæc die undecimâ febrem, tumorem, dolorem tensivum & lancinantem adimit, suique fit compos æger & pustulas videt squammarum decedentes, in quo absoluta morbi curatio. Variolis erumpentibus malè, periclitatur æger, neque fermenti difflatio melius naturæ voto responderet, quàm sub pustularum specie erumpens. Hinc quanta eruptionis habenda ratio liquet, quæ ut feliciter cedat motus naturali proximus desideratur.

I I.

CORPUS Variis instructum organis, varias excretionum absolvit species. Quicquid è suo penu respuit, tanquam quid sibi molestum, exterminat, nec unquam plures simul feriantur excretiones absque corporis detrimento. Secretionum opus à motu temperato. Segnis aut effrænis parùm secretioni idoneus. In medio stat vita. Quò à temperato magis alienus sanguinis motus, eò majus æger vitæ subit discrimen. In variolis effrænis motus sæpe mortem infert properam; qui primis diebus furit, mortem minuitur, eruptioni prorsus officiens. Eruptio certas habet leges, quas infringere piaculum. Motus sanguinis parùm auctus, cutis laxa & mollis, alvus astricta aut saltem pigra symptomatum remissionem simul & eruptionem pollicentur non infauftam. Hunc naturæ nisum & crisin parit fermentum solida laceffens & liquidorum perturbans diathesin; hinc in his fermentatio, in illis irritatio; hinc novis & repetitis ictibus solida sanguinem agunt, qui per corporis incernicula heterogenea secludit. Dubio sæpius Marte natura dimicat, victrix tandem, dum solidorum Elater nec corrugationibus aut crispaturis, nec nimis peccat laxitate, nec sanguinis prius impura crasis, quæ heterogeneis jam turgens, fermentationi nimis viam sternit, in quo prælio fatiscit æger & extinguitur.

I I I.

CRISIS nulla sine impuri secessu. Naturæ labor frustraneus & lethalis, ni totius corporis Elateres suâ vigeant virtute; hinc ægrotautes quos lentè & diù depascit febris, criseos perfectæ rarè expectantur opem. Solidorum vis obtusa & iners, sanguinis circuitum languidè absolvit; hinc sales, quibus gravatur, aut viscida, quibus quasi irretitur, ipsius crasin inficiunt & omninò pessundant. Sanguis grumolâ seu pingui, oleosâ & rubrâ parte coalescit & serosâ. Hæc illius est vehiculum, saliumque & cæterorum excrementorum condus. Quò serosus latex purior, eò sanguinis motus liberior. Morborum sedes & origo non insolita serum impuris scatens & infarctum, unde quasi concretum, solidorum motui malè cedit oscillatorio; sic languidè secretionum cuditur opus; hinc solida corrugata se se tremulè & quasi subsultim movent; quæ tandem, solidorum mole diù contracta & depressa, tonum amittunt, & laxa nimis irritos edunt nisus. Ex alterutro solidorum aut liquidorum

3
vitio, functionum læsio. Morborum initia Erethismus in solidis, progressus laxitatem creant. Hæc vix medicinæ legibus obtemperat, Chronicosque ægrè medicabiles parit affectus. Primi morborum insultus, ut ut feroces, melioris sunt spei, nec illis vacuas præbet manus medicina, motum desultorium ad naturalem reducens; nec unica hæc spectanda salus nisi, ab his quæ sales, cæterasque sanguinis fæces valent solvere, solidisque virtutem restituere. Hæc ab alio fonte quàm à salium penu, maximè acidorum, haurienda, quæ solidis vim & non virtutem pondusque, & fluidis concretionem adjiciunt

I V.

MORBORUM seminia præcopiâ aut exquisitâ indole, variè corpus agunt. Quæ acri vigent fermento citiùs & sæviùs prorumpunt, nec, in motum acta, diù suam celant ferociam. Lentiùs mitiùsque exerit vim fermentum hebes, grave & viscidum, seriùsque dispenditur; hoc obstructionis; illud φλογώσεως occasio & causa. Variolarum lues suum prænuntiat exitum immani symptomatum catervâ præcurrente. febris intensa ægrotantis jacturam molitur, viscera æstuant, cutis exarescit, sitis urget nullaque corporis pars incendii vim eludit. omnes refrigerio exigunt recreari. unde tanti æstus temperatio? à salium fermentationem concitantium solutione & exilio. sales in sanguinis sero luxuriantes gravem sibi inferunt luctum exagitati, nec cessat prælium nisi ipsorum fiat depressio, nec tuta salus absquè eorum secretionem, undè solida suam resumunt vim & modum, fluidorumque refarcitur lenis circuitus. motum hunc ex acidorum usu redintegrandi spes nulla. Acida corpora sunt aculeis hirsuta & præ mole gravia; hinc ex utroque suo malo genio, utrinque feriunt. præ mole vasa, jam pro fermentatione distenta nimis, deprimunt & laxant, undè motus languor & ignavia, eruptioni penitùs infaulta, serosique laticis hinc concretio nova. pro acie, irritationem, antè inchoatam, adaugent; undè solidorum nova concussio; in liquidis novus fermentationis gradus motus que universi corporis ultrà modum rapidus & exlex secretioni contrarius. rapidior motus cuncta simul promiscuè abripit. levia cum gravibus aufert, nullaque illarum pars suam servat sedem, situm & ordinem, incerniculorum hiatus præterlabitur, nec fit ulla, nisi tenuis & aquosi seclusio. nulla ex segniori motu crisis. partes crassæ imò subsident & pro mole graves, torpescunt, vixque & ægrè provolvuntur cæterisque obijciunt repagula; hinc totius œconomix perversio & animalis exitium,

V.

ERUMPENTES malè variolas, præ nimio æstu, qui viderit, calorem immodicum temperare studeat, fermentationis materiam detrahens. sales diluat, potum tenuem & aquosum dulcemque ministrando. soluti sales foras secedunt. rigidi & asperi Erethismos, Phlogosin inurunt.

Acida sanguinis fervorem compescunt ab insolatu nimio vel alio extraneo calore concitum solidis, nimum à spirituum impetu concussis, pondus addendo, liquidisque ultra modum solutis, impertiendo concretionem. Acida fermentativum temperando, progressivum lædunt motum; hinc novissimus error priore peior, sæpius immedicabilis, non unica acidorum species nec eodem fonte scaturit. varia mixtura speciem astruit variam. alia ortu, casu alia, arte alia prorumpit. acida ortu è vegetabilibus & mineralibus emergunt, scilicet malis Citriis Aurantiis, Limonibus, Pomis, Pyris, Prunis, Cerasis, Oxalide, Oxytriphyllo, Berberi, &c. Mineralium pauca quæ acido non sint sale saturata, cui suam debent concretionem, veluti sulphur, nitrum, vitriolum. quæ casu & proprio fermento acescunt mixti proferunt resolutionem, velut acetum, vini exoluti & vapidus fœtus. acidi sales quos cudit ars plerumque vi præstant causticâ: at quamcunque referant speciem nunquam ab illis amica naturæ exurgit dulcedo. quò illorum spicula rigidioris fuerint molis, èd corpori magis infensa, magisque vellicant & pungunt, astringuntque morsu, corporisque ἐνρῶτιαν sistunt in variolis necessariam. ab iis igitur temperandum, maximè variolis erupturis & erumpentibus, ubi laxare opus, non coarctare, emollire, non indurare, rarefacere, non densare, aperire, non occludere, movere, non sistere; alioquin acidas jam & amaras variolas, acerbiores redditurus, acido proinde cantico, justâ de causâ à doctis excipiendus.

Ergo Acida Variolarum Eruptioni Noxia.

Domini Doctores disputaturi.

M. Joannes Baptista Enguehard.	M. Joannes Baptista Fermilhuis.	M. Ludovicus Gayant
M. Claudius Vergne Chirurgiæ Professor.	M. Joannes Dopiney Peshard Scholæ Professor.	M. Franciscus Vezou-
M. Ludovicus Guillot.	M. Philippus Fontaine.	M. Dominicus de Farcy.

Proponebat Parisiis JOANNES BAPTISTA SILVA,
Burdigalensis, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1711.

Apud Viduam Francisci Muguet, Regis & Facultatis Medicinæ Typog.